

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-427549-p0001-5

1. Klemm, Gust., Die Verbreitung der activen Menschenrasse 1845.
2. Wuttke, Heinr., Die Ansichten der Völker von der Seele. s. a.
3. Schroedter, E. Chr. (Clodius J. Chr.) Alleissabio hominis 1704.
4. Bartsch, K., Die Formen des geselligen Lebens im Mittelalter. 1862.
5. Hanuš, J. J., Über die alterthümliche sitte der angelinde 1855.
6. Koberstein, Üb. d. Vorstellung v. d. Fortleben Abgeschied. Seelen.. 1849.
7. Schwartz, W., Die ethische Bedeutung der Sage.. 1870.
8. Tre meget smukke historiske Viser.. s. a.
9. Hern, M. S., Zur Alexander-Sage. 1861.
10. Eshé, Herm., Alexanders Zug zum Lebensquell.. 1874.
11. Römheld, Beiträge zur Geschichte u. Kritik der Alexandersage. 1873.
12. Ein altes syrisches Alexanderlied übersetzt v. P. Zingerle. 1882.
13. Meyer, Kuno, Eine irische Version der Alexandersage. 1884.
14. Schmidt, Alwin, Über das Alexanderlied des Alberic v. Besançon 1886.
15. Lachmann, Carol., De ordine narrationum in evangeliis synopticis s. a.
16. Weinhold, Karl, Ang. Baumgart zum 30. März 1878.
17. Loersch, Hugo, Ueber die älteste datirte Handschrift d. Sachsenspiegels. 1879.
18. Schulz Carol., Speculum Saxonicum cum latino sermone conceptum ist 1875
19. Goerlitzer Lehnrecht.. hrs. v. Gustav Koehler. 1841.
20. Drei Uerdinger Weisthümer a. d. J 1454 hrs. v. A. Rein 1854.
21. Büsching, J. G. J. Das Schlesische Akademi Provinzial Archiv zu Breslau 1820
22. Klage, Fr., Bestimmung des Tags der Hermannschlacht 1818
23. Bessell, W., Die Schlacht am Lokkumer Berge. 1857.
24. Wormstall, Jos., Über die Tungern u. Baskarner. 1868.
25. Schwetschke, Gust., Tacitus Germania.. 1849.
26. Wuttke, Heinr., Rede zur Feier der Leipziger Schlacht 1862.
27. Wuttke, Heinr., Kronliche Gefahren Friedrichs des Grossen 1841.
28. Palm, Herm., Schlesiens Antheil am 30 jäh. Kriege. 1620-1876.
29. Nitzsch, K. W., Das alte Ditmarschen. 1862.
30. Hänel, Alb., Die Garantien der Grossmächte für Schleswig. 1864.
31. Richter v. v. Lübeck, Das Herzogthum Gottschee. 1823.
32. Kemble, John M., Über die Stammtafel der Westsachsen. 1836
33. Meyer, Ern. Friedr., Die Einfälle der Normannen in die pyrenäische Halbinsel 1844.
34. Meyer, Leo, Über die in der livländischen Reimchronik enthaltene Sachkritik v. Esten. 1870.

C. B. D.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO,

DN. FRIDER. AVGVSTO,

ELECTORATVS SAXONICI HEREDE,
ETC. ETC. ETC.

ILLE-I-SSATIONEM HOMINIS,

ut

TUISSATIONIS DEI ET VOSSITATIONIS HOMINIS

προθήκην ac supplementum,

PRAESIDE

M. ERNESTO CHRISTIANO SCHROEDTERO,

ORDINIS PHILOSOPHICI ASSESSORE,

publicae Συζητήσει exponet

Auctor-Respondens

IO. CHRISTIANVS CLODIVS,

Sohliba-Haynensis,

IPSIS KALENDIS FEBRVARII, A.R.S. cIↃ IↃ CCIV.
IN AVDITORIO MAIORI.

VITEMBERGAE,
Prelo CHRISTIANI SCHRÖDTERI, ACAD. TYP.

188 S. 1019

I.

DUo supra triginta anni sunt, ex quo Parens meus Venerandus, IO. CLODIVS, t. t. Magister *Legens*, post Ordinis Philosophici Adscriptus, demum Ecclesiae Schlibensis Praepositus, hodie autem Haynensis Antistes, *Diatriben* haud vulgaris argumenti, DE TUISSATIONE DEI AC VOSSITATIONE HOMINIS, publicae luci in hac Academia exposuit, quae deinceps non una vice est recusa. Hanc ipsam cum aliquando perlegerem, mos ille, quo homines paulo honoratiores *Vossitare* solemus, alium mihi, praeeunte itidem Parente laudato, protinus suggessit, eum scilicet, quo homines in dignitate aliqua constitutos ILLE-I-SSARI, (barbariei venia sit!) passim et ubique fere audias. Idque penes Germanos adeo in consuetudinem venit, ut, si virum vel foeminam paulum a vulgi fece remotiorem in *tertia persona* utriusque *numeri*, ILLE vel ILLI, ILLA vel ILLAE, (Er oder Sie/) non compelles, hominis rusticitatis pleni nomen subire habeas. Accedit, quod nec in plebeiorum, quibus abblandiri volumus, compellatione inusitatus est titulus. Contra ea, ipsi quoque plebeii, qui rem saepe ornant abiectissimam, *lapidemque e sepulchro venerantur pro Deo*, alios se non ita multo excellentiores, ut eorum gratiam aucupentur, ita compellant. Quare vestigiis Patris mei insistam, ac cum ille Th. II. *Dissertationis* supra memoratae Ille-i-sationis mentionem fecerit, nec tamen plene hac de re, sed breviter saltem et in transcursu egerit, institutum persequar; non quod perprurisicant mihi digiti, aut ex quodam gloriae aucupio rem suscipiam,

scipiam, sed eo potissimum consilio, ut illorum precibus satisfaciam, qui patrem meum plus simplici vice urserunt, ea, quae priori Disputatione leviter tantum attigerat, prolixius explanare. Scio equidem, Disputationem eius primam perlustrantes, me foenum esse oportere, nec muneris suscepti partes implere, dicturos, ingenii tamen mei vires, tenues licet, explorare non sum veritus, quandoquidem pro me loquuntur Arabes, qui الشجر اول *principium arboris ossiculum esse*, recte arbitrantur. Ordine autem ut progrediar, nihilque praetermittam, quod ad rem conducit, constitutum mihi est, *primo* ILLE-I-SSATIONI Germanorum consentientes Linguas populosve adducere, in eius *deinde*, originem ac fundamentum inquirere, ac *denique* quo in loco numeroque consuetudo haec habenda sit, breviter declarare.

II. Non ergo apud Germanos solum in more positum est, ut praesentes *tertia persona* compellent, sed in aliis quoque linguis simile quid observare licet. Ac ut a prima omnium, *Hebraea* puta, exordiar, saepissime in compellationibus *tertiam personam* in unitatis numero illic adhiberi deprehendas, Exempla ex V. Instrumenti tabulis varia utriusque sexus attulit Parens meus l. c. Th. II. videlicet Aaronis, Exod. XXXII. 22. Tribus Gad et Ruben, Num. XXXII. 25. Hannae, 1. Sam. I. 28. Mulieris ex Thecoah, 2. Sam. XIV. 11. Bagoae, Judith. XII. 13. quorum sermones maxime ad modernum Germanorum stylum compositos esse videmus. Interdum equidem nonnihil ab hoc nostro Germanico idiomate *lingua Ebraea* discedit, siquidem quandoque *secundam* Pronominum *personam* admiscet; cum tamen Germanus *tertiam* semper continuet. e. g. 2. Sam. XIV. 11. dicitur, quae יזכר־נא המלך את־יי אלהיך ;

recor-

recordetur quaeso Rex Deum Tuum, ubi suffixum nomini additum secundae personae singularis est. It. Exod. XXXII.22. אל יחר אף אדני, *ne exardescat ira Domini mei*, mein Herr lasse seinen Zorn nicht ergrimmen/ sequitur mox אתה ידעת, *tu nosti*, du weißest. Neque tamen id perpetuum est. Sunt enim alibi exempla continuationis eiusdem personae, quale habetur 2. Sam. XIII. 33. אל ישים אדני המלך על־לבו, *ne ponat Dominus meus rex super cor suum*, so nehme nun mein Herr der König solches nicht zu Hertzen. Aliaque plura.

III. Quod ad ceteras attinet linguas, *Amharica* inter *Abyssinos* ad hodiernum Germanorum stylum accedit. Quippe erga viliores, ut famulos et servos, nec non pueros et adolescentes, itemque amicos familiares, *secunda persona singularis* in Imperandi modo utuntur, ut: תַּקַּמְטְ, *sede*; נוֹרְ, *mane*. Erga honoratiores *secunda plurali* eiusdem modi, ut: תַּקַּמְטוּ *sedete*; גּוֹרוּ, *manete*. At erga viros, in dignitate aliqua aut officio constitutos, *tertiam singularem* adhibent, ut: אִגְזִיאַבְחַר בַּגּוֹ קַן vel בַּגּוֹ לְלִית יִשְׂטִיו *Deus bonum diem, vel bonam noctem det illi.* GOtt gebe Ihm einen guten Tag/oder gute Nacht! Regem vero, vel Principes, aliosque Magnates, *in numero multitudinis, eiusque tertia persona* alloqvuntur, e.g. si stylo nostro ex iis quaerant: Haben Sie wohl geruhet? Plura de allocutionibus et responsionibus eiusmodi *Abyssinorum* qui desiderat, ei adeundus est Vir Summus, *Iobus Ludolfus*, Vir huius aliarumque linguarum, non exoticarum tantum, sed earum etiam, quae ad orientem spectant, peritissimus, in Grammatica linguae *Amharicae* pag. 58.

IV. Nec ab hac consuetudine multum abeunt *Turcae*, Imperatorem *tertia persona Singulari* alloquentes, ut:

حضرة پادشاه, *Rex, Imperator, Maiestas sua*, Ihro Königl. Käyserl. Majestät. Est autem prius vocabulum origine Persicum, quorum innumera admixta sunt linguae *Turcicae*. Persae pro eo شاه quoque dicunt, annexo interdum titulo illo splendidissimo حضرة فرا, quod *eminentissimum* significat, a سر *caput*, et فرا *supra*, partic., vel etiam پناه جهان, quod *asylum mundi* sonat. Nam جهان Persis *mundum*, پناه autem *praesidium, refugium* notat. Ipsum vero پادشاه componi volunt ex پاه *Dominus*, et شاه quod *magnum et excellens* in quovis genere ipsis significat, notante *Gravio*, Viro literaturae Persicae callentissimo, apud *Castellum* in Lexico Persico, quod Heptaglotto seorsim praefixit. Conf. *Seldenus* de honor. Tit. Part. 1. c. VI. p. 105. sqq. Inde lusus notissimi genus apud Orientis populos, nec Nostris incogniti Schachspiel q. d. Regis lusus, quia Rex et Regina agmen ducunt inter latrunculos, quo de itidem egit Parens meus in miscellaneis suis Orientalibus, Praes. *Sennerto* olim habitis, Anno 1666. in Tmemate Persico. Altera vox حضرة Arabice *praesentiam* declarat a R. حضر *praesens fuit*. Quare Persis quoque in eadem significatione in usu est, sic ut in ipsorum lingua بحضرة idem sit, ac Chaldaicum קֳדָם i. e. *coram, in praesentia*. Quare et in Versione V. Test. Persica, ubi in Targum. extat קֳדָם, quod *a conspectu* vertas, از حضرة redditum legas. Evolvatur modo Gen. III. 8. IV. 1. Deinde vero speciatim *praesentiam cum dignitate* et *regiam*, i. e. *maiestatem* designat. Hinc in historia Christi Persica *Xavierii* saepissime invenias حضرة عیسی vel حضرة یشوع *maiestas Jesu*, vel *Dominus Jesus*, ut habet versio Latina *Ludovici de Dieu*. In principum vero compellatione voci huic Celsitudinis significatio non repugnat. Dicunt enim e. g.

پادشا

حضرتلرى پاشا *Princeps, Celsitudo sua*, i.e. *Celsissime Princeps.* Quo quidem titulo Principem in reliquis etiam vocis flexionibus, si eius mentionem iniiciant, insigniunt; Exemplum extat apud *Seamannum*, doctissimum Anglum, qui N.T. et Catechismum Turcice nobis dedit, in Gramm. Turc. p. 173. ubi dandi casus extat, videl. حضرتلرنه پاشا *Celsissimo Principi*, ad verb. *Paschae Celsitudini Suae*, vel *excellentissimo Paschae*, prorsus ad stylum Germanorum: Seiner Durchleuchtigkeit.

V. Sed nec inusitatum Turcis est, Imperatorem ita alloqui, حضرة الله پادشاه, *maiestas Dei Rex*, idque ex Imperatorum arrogantia faciunt, qui titulum istum cum Alexandro M. sibi vendicant, quodque ut Deus mortalibus mundi gubernator: ita hic subditis suis جهان جاى i.e. *custos mundi*, palatium vero eius آسمان سعادتلو, *limen beatitudinis*, quasi coelum quoddam, audit. Qua reverentia *Moschi* quoque Czaarem suum, (minus recte Caesarem) prosequuntur, vid. autor der Moßkow. Staatsbeschr. p. 270. *Sinenses* vero quosvis Reges, maxime bene meritos, *Dei filios*, edictum regium *Dei mandatum*, ac diplomata *Dei literas* vocant, teste *Müllero*, in Comment. Alphab. de reb. Sin. magnaeque Tatariae p. 63. Alias Turcae in plebeiorum compellatione secunda persona singulari utuntur. e. g. Salutantes se invicem, dicunt: سلام عليك *Pax sit super Te*, quem Ebraismum Latine vertas, *Salve*. Quod si vero honoratior alter sit, secundam personam multitudinis adhibent, hoc modo: سلام عليكم *pax sit super Vos*, addentes interdum ورحمة الله, *et misericordia Dei.* Alter dein respondet, وعليك سلام *etiam super Te sit pax*, *Tu quoque salve.* etc. Et sic eodem modo in oratione integra tum honoratiores quosvis,

vis, tum ipsum Imperatorem vel Sultanum, ut vocant, semper compellare solent, quod adiecta verbis terminatio شما, *Vos* indicat; cum e contrario plebeios item familiares secunda, ut dixi, persona Singulari alloquantur, qui in eorum vernacula شما sonat. Quod supereſt de compellationibus apud *Turcas*, citatis evolvi meretur Vir literaturae, quam oriens sibi vendicat, scientissimus *Meninsky* in Grammat. Turc. Arab. Pers. fol. 145. Clarissimo *Schieferdeckero* etiam citatus in Gramm. Turc. p. 122.

VI. Ad *Persas*, quos Turcae قزيل باش, hoc est rufos, ob pileos, quibus utuntur, rubros appellant, quod attinet, hos *secundam personam Singularem* in honoratiorum compellatione non fastidire, ex eo manifestum esse puto, quod in submissionis ac reverentiae signum communissime dicunt: خاك پاى شما *pulvis sum pedum tuorum*, ad quod alter respondere solet خاك سر شمان شما, *pulvis sit super caput hostis tui*, id quod de Persis observavit Cl. *Levinus Varnerus*, in Cent. proverb. Persic. p. 5. De Rege vero loquuentes tertiam pluralem adhibent, ut celebris ille Indorum Apostolus, *Xavierius*, in historiae Christi Persicae praefatione p. 7. چون پادشاه جهان پناه آرزو فرمودند *quoniam rex, mundi asylum, desiderarunt*, pro desideravit, q. d. Sie/ der König/ haben verlanget/ ubi ad oram *Ludovicus de Dieu* (qui vulgo Latinae versionis autor habetur): *sic de magnis in plurali honoris gratia loqui solent.* Simile in ead. praefatione occurrit p. 11. ubi de Majestate regia in pl. loquitur, *quod superbiant*, Sie J. K. M. in Persien können stoltz drauff seyn/ ubi iterum, ut supra, in folii extremitate annotat: *plurali numero honoris gratia*, p. 10. Hic Regem alloquitur, (ipsi enim dicata praefatio est,) tertia persona tan-

tanquam absentem; et congruum huic exemplum in Sacris literis Exod. IV. 19. it. Matth. II. 20. extare nonnulli existimant interpretes, ubi de unico rege Pharaone, et Herode, absente, in tertia persona pluralis, sermonem esse ipsis videtur. Sed cum illic nomen multitudinis כל adiectum sit, merito de eo dubitatur. Hinc *Aben Esra* ita explicat: כי מת פרעה ועבדיו שהיו יורעים דבר המצרי h. e. *quia mortuus est Pharao, et ministri eius, qui rerum Aegyptiacarum gnari erant*, *Raschi* vero de Dathan et Abiram exposuit, scribens: מי הם דתן ואבירם חיים חיו אלא שורדו מנכסיהם והעני חשוב כמת i. e. *quinam sunt hi, Dathan et Abiram, qui adhuc vivebant quidem, sed bonis privati; pauper vero reputatur pro mortuo*, etc.

VII. *Syri*, quod sciam, nihil hic referendum habent, nisi quod in Amicorum compellationibus *secunda persona Singulari* utantur, id quod ex Epistolis *Mosis Mardeni*, ad Andr. Masium scriptis, manifestum evadit, ad quarum primam, circa vocem ܚܒܝܒܝ i. e. caritati tuae, *Andr. Müllerus*, Vir, dum viveret, in ἀνατολικογλωττογνωσίᾳ versatissimus, cuius cura illae ipsae prodierunt, egregia annotavit, quae, una cum Epistolis, lectu sane perquam digna sunt.

VIII. Ad *Germanos* progredior, quibus haec loquendi ratio compellandique in *tertia persona* consuetudo non prorsus inusitata videtur. Insignis locus extat in N. Testamento Luc. I. v. 43. ubi mater Johannis Elisabetha ad τὴν προφήτιν Mariam: καὶ πόθεν μοι τοῦτο ἵνα ἔλθῃ ἡ μήτηρ τοῦ κυρίου μου πρός με, *et unde mihi hoc, ut veniat mater Domini mei ad me?* und woher kommt mir das / daß die Mutter meines HErrn zu mir kommt? cuius loco nos Germani, daß Sie (Maria scilicet) zu mir kommt?

diceremus. Quis praeterea ignorat, penes *Graecos* vocem ὠπὸς adulationi inservire? *Theophrastus* de adulatore; in via si qui fiant obvii, sistere gradum jubent, ἕως ἂν ὠπὸς παρέλθῃ, *donec Ille transierit*, ad quem locum *Casaubonus*: Ut in lingua sancta הוא pro Deo aut Christo absolute ponitur; sic apud *Graecos* honoris est appellatio ὠπὸς etc. Plura, eaque huc spectantia, ex Scriptoribus Graecis collegit laudatus *Casaubonus* l. d. Quibus sequentia addi merentur. Videlicet ille ingenii ac doctrinae princeps vocabulum הוא (ille) pro Deo vel Christo absolute poni asseverat, qua in re ipsi praeiverunt *Galatinus*, maxime de A. C. V. III. 23. e Nostris *B. Walth.* Cent. Misc. c. 88. p. 608. e Reformatis *Sixtinus ab Amama* Antib. p. 297. alii item; ex scriptura sacra urgentes inprimis loca Gen. III. 15. Jes. XLII. 8. XLIII. 10. 25. Ps. XXIV. 10. Zach. IX. 9. Job. XIII. 16. id quod tamen contra Capnionem negat *Polyander a Kerkhoven* in Concertatione sua Anti-Crelliana. Id certum, a Cabbalistis nominibus Dei accenseri. Persae quoque Deum هو vocant, inde هو يا *o Deus*, quod est pronomen Arabicum, *ille ipse*. Legatur *Warnerus* l. d. p. 23. Turcae insuper, teste *Corovico* in Itin. p. 158. quoties suum Hou proferunt, quod Dei nomen ipsis denotat, corpus inclinant, et manus in terram demittunt, addatur *Henningius Henningi in Muhammed. Prec. pag. 16.* Ceterum vocabulum הוא Iudaeis contemtui inservit, utpote qui Christum appellant אותו האיש הזוא vel אותו האיש ex odio, ne nomen quidem exprimentes, vid. *Abarbanel* in Comment. ad Jes. c. LVII. ubi ait: חכמי הנוצריו פירשו על אותו האיש שתלו, *sapientes Christianorum explicant (scil hoc caput)* de viro illo, *quem suspenderunt*, conf. *Aben Esra* in Comment. ad Gen. c. 27. v. 40.

IX. Re-

IX. Revocat mihi in memoriam Graecum vocabulum αὐτὸς locum illum Matth. XXIII. 37. ubi Christus, Hierosolymorum civitatem alloquens, quasi de absente dein sermocinari pergit, occidis, inquiens, prophetas, ἀπεσταλμένους πρὸς αὐτὴν *missos ad eam.* Ita in V. T. loqui amat Deus immortalis. Vt ex plurimis locis unum, instar omnium, commemorem, Mich. I. 2. Deus ad populum Israeliticum per Prophetam dicit: שמעו עמים כלם, *audite gentes omnes illae*, ad quem locum *R. S. B. M.* ita commentatur: אמר שמעו לנכח ואמר כלם שלא לנכח בן מנהגג הכתוב במקומות רבים h. e. *ait* שמעו *ad praesentes, et rursus ait* כלם *quod non est ad praesentes*, sic autem mos est Scripturae in locis multis, siquidem saepenumero personam tertiam singularem loco secundae usurpare solet, ac si de absente sermo esse videatur. Persona enim tertia de absente et quasi latente dicitur, hinc Rabbinis etiam verborum tertia נסתר *abscondita*, et pronomina tertiae personae נסתרים vocantur: apposite igitur Turcis persona tertia singularis مفرد غايبين *singularis absentis*, pluralis vero, جمع غايبين *pluralis absentis* dicitur. conferatur laudatissimus *Seamannus* Gr. Turc. p. 60. Non vero est, ut cum *Ludovico de Dieu* Gram. p. 417. in verbis Matthaei allegatis Syriasmum statuamus, cum in Ebraea Lingua idem loquendi modus obtineat. Nec quisquam facile Graecarum literarum adeo expers erit, qui non animadvertat, πρὸς αὐτὴν hoc loco idem plane esse, ac πρὸς σε *ad te*, prout rectissime reddidit Versio Persica et Turcica. Illa enim ita se habet: كه بيشن تو فرستاده شدند, *qui ad Te missi sunt*, haec vero: شكا مرسللري *Tibi, vel ad Te missos*, ubi tamen in extremitate additur, يا خود اكا ويا كندوسنه مرسللري دخي تيويلن اولنه *posse etiam reddi ad eam, vel illi ipsi.* Con-

Consentit personae secundae *B. Lutherus*, qui vertit: die zu dir gesand sind/ nec non Gallica versio: *qui te sont envoyés*, et Italica: *che ti son mandati*, it. Anglica: *vvhich are sent to thee.* Idioma autem Graecum secuti sunt Arabs Londinensis, ألهم سلين اليها *missos ad eam*, Aethiops item, לֵאֹל תַּפֵּנוּ הֲלֵהָ, *qui missi sunt ad eam*, nec minus Syrus: ܢܐܝܠܢ ܕܫܠܝܚܢ ܠܘܬܗ *eos qui mittuntur ad eam.*

X. Haec hactenus de Oriente; recensebimus nunc breviter strictimque, quem Occidens morem habeat, et quo sermonis genere suos alloquatur. *Latini* de uno in unitatis numero verba faciunt, neque ipsorum consuetudo in secunda persona multitudinis numerum admittit, si ad unum saltem, quacunque dignitate praeditus sit, sermo dirigatur, consulatur *Ascensius*, vetus Virgilii Scholiastes, qui accurate hac de re disserit, vocumque *Ille, Iste, Ipse*, vim potestatemque phrasibus nonnullis eleganter declarat. *Itali* vero secundae personae loco in honoratiorum compellatione tertia utuntur, e. g. *V. S. hà ragione*, der Herr hat recht/atque ne vox V.S. saepius repetatur, *ella*, vel *lei*, et in plurali V.S. *loro* usurpant; sed de plebe aliquem alloquentibus *Voi* in usu est, quod aliter fieri consuevit apud *Gallos*, ut mox dicemus. Cum Italis conveniunt *Hispani*, qui eodem modo tertiam pro secunda efferunt, ut *su Mercèd*, q.d. *Sua gratia.* Sic: *Si el quiere hazer lo*, wenn ers thun wil/pro so du es thun wilst. It. *Sua signiora*, pro, *dominatio tua*, et *el Suyo, eius*, pro *vuestro.* vid. *Sanford.* in rudim. Hisp. ling. p.17. et *Caesar Oudin.* Gram. Hisp. p.64. Conf. *Seldenus* de Tit. Honor. P.I.c.7.p.124.

XI. His expeditis, *Origo* ILLE-I-SSATIONIS, quantum

tum cognoſci poterit, paulo ſubtilius quaerenda, quove *fundamento* eiusmodi compellandi ratio nitatur, explicandum. Sed non unam hac de re ſententiam deprehendes. Sunt enim, qui cauſae firmamentum quaerunt in multitudine virtutum vel perfectionum, exiſtimantes, illas omnino perfectius aliquod nomen efflagitare, quo conditio illa multiplex in allocutione rectius pauloque accuratius exprimatur. Quod ſi vero his infinitam Dei perfectionem obiiceres, hunc nec *Voſſitari*, nec *Ille-iſſari* dicerent, quia videl. diſcrimen perfectionum divinarum non reale ſit, ſed tantum *rationis ratiocinatae* (ut Philoſophi loquuntur,) id quod vero in homine aliter ſeſe haberet. In Deo enim, aiunt, multitudinem attributorum non impedire ſimplicitatem, indeque etiam ſimplicem requiri compellationem, at in homine cum realem compoſitionem efficiant, compellationem quoque fieri quaſi compoſitam. Verum enim vero pluralitas ἐξοχικὴ non illico ac recte fundat pluralitatem (liceat ita loqui) compellationis. Si enim ex multitudine perfectionum, reipſa diverſarum, colligenda eſt pluralitas appellativa, cur angelum non *Voſſitamus*, vel *Illeiſſamus*, qui prae hominibus hoc nomen potius merebitur? quippe cuius perfectiones ſunt excellentiores, et tamen realiter ab eſſentia diſtinctae, prout in Pneymatologia demonſtratur.

XII. Alii ab inſtituto hominum fundamentum peti debere contendunt, quippe quod non ſemper ratione aliqua nitatur, atque ut ſententiae ſuae fidem faciant, provocant ad impoſitionem nominum. Cur enim ſcamnum vocetur ſcamnum, nullam dari poſſe rationem dicunt. At enim vero exemplum admodum diſſimile eſt. Haud equidem inficiabor,

vocabula non φύσει, sed θέσει et κατὰ συνθήκην significare, neque illorum rationem semper dari posse, quanquam saepe non lateat. Sed rei tamen immutatae ratio adsit oportet et fundamentum: cur enim illi, qui eiusdem sunt rationis individuae, non ut individua singulariter compelluntur? Qui porro *Illeifsationis* fundamentum in libera hominum voluntate, ut fundamentum *Tuifsationis* Dei in libero eius arbitrio, (quod probabilissimū iudicat Parens laudatus l. c. C. II. §. IIX.) solum ponunt, argumento itidem minus firmo innituntur. Nec enim consequitur, quia nescimus specialissimam *Tuifsationis* Dei rationem et fundamentum, praeter eius liberrimam voluntatem, E. et *Illeifsationis* hominis rationem specialiorem nescimus praeter liberum eorum arbitrium?

XIII. Sunt praeterea, qui in indole linguarum, quas supra commemoravimus, causam quaerunt, ad quam respexisse Germanos sibi persuadent; sed an firmo innitantur praesidio, nec sibi specie quadam blandiantur, aliorum iudicio relinquo. Nec denique nitori Gallico natales debere, luculenter inde apparet, quod vel in honoratiorum compellatione, sive Rex sit, sive Comes, aut Archiepiscopus, pronomen Personae II. pl. Vos (Vous) non fastidiat. Provoco ad hodiernos scriptores Gallicos, qui moderno etiam stylo elegantissime sua conscripserunt. Inde et Rex Galliae si literas det ad Imperatorem, titulum maiestatis non adhibet, sed ait *Vos*, *Vester*, vid. *Feltmannus* de honor. tit. P. I. c. XXXIII. §. 2. p. 174. Quod autem ad vocabuli huius Gallici *Vous* usum in plebeiorum compellatione attinet, de eo autor libri Gallici, qui inscribitur: *L'art. de plaire dans la Conversation*, haud longe ab initio venuste disserit.

XIV.

XIV. Qui proinde insolentiam et ambitionem seculi *Illeissationi* originem dedisse autumant, prae ceteris rem putasse mihi videntur; siquidem antiqua semper sordere constat, novitati vero quanta inest vis et efficacia? quantum eius studium mortalium animos instar morbi cuiusdam invasit? Pulchra enim sunt, quae nova, et varietas, nescio quo pacto, nimis delectat. Hinc tot homines omnem curam cogitationemque suscipiunt, ut, quae novitatis quandam speciem prae se ferunt, excogitent. Alii vero gaudent in sinu, et applaudunt novis his inventis, eaque quam lubentissime prae consuetudine pristina recipiunt, vel pulchritudinis, vel commoditatis cuiusdam opinione ducti. Vnde enim aliter profecta esse putes varia illa vestitus, ac utensilium genera, varias illas aedificiorum exstructiones, varia illa prandiorum coenarumque ingenia, nisi ex nimio novitatis studio? ut nova vocabula linguae nostrae immixta, tacitus praeteream? Quid, quod novitatis studium innumeros ad exteras longeque dissitas regiones trahit, ubi praeter nova, quae oculis usurpare licet, novi quoque mores se in animos insinuant, iisque saepe non laudandis multi imbuti redeuntes, pestem veluti suam disseminant, ac reliquos ea inficiunt. Quae cum ita sint, hominesque, Atheniensium more Act. XVII. 21. adeo vel audire nova, vel dicere satagant, quid mirum, si Germani novum honoris signum quaerentes, pro secunda Persona tertiam adhibendam, nescio an exterae alicuius gentis exemplo, existimarint?

XV. Ceterum, quid de hac loquendi compellandique ratione sentiant eruditi, brevibus adhuc exponendum restat. Sane non minus eam, atqve *Vossiationem*

suo

suo iam tempore rectissimi Vir iudicii, *Erasmus*, falsè perstringit, et tanquam ridiculam, ineptam atque absurdam reiicit, verba eius haec sunt: *Magis ridiculum, quod quidam honoris gratia personam quoque vertunt, dicentes: Mandaverat mihi reverentia sua, pro vestra, sive tua. Huius sermonis ineptiam si quis non videt, illiteratissimus sit oportet; si cum sentiat, non expuit, patientissimus: si tam absurdam adsentationem libentius etiam auribus haurit, gloriosissimus sit oportet.* leg. de Consc. Epist. sub peculiari Rubrica: *de consuetudine unum multitudinis numero compellandi.* Et profectò rem paulo penitius perpendentes, non possunt de Ille-i-station aliam ferre sententiam: manifesta enim personarum numerique inde oritur confusio; pronomen tertiae personae, quod in sermone absentibus tantum convenit, in praesentium compellatione adhibetur; tum, si aliquis, cuius lateri alter adstat vel assidet, in tertia persona pluralis compelletur, non iniuria et alter ille ad se spectare putabit, cum tamen opinione fallatur; imo, unam personam, unitatis numero alloquendam esse, sana mens suadet; quod si vero *numero mutatus honorem habet, cur non eadem opera videtur honorificum, plures singulari numero compellare?* idem quaerit *Erasmus* l. d. Sed quis consuetudinem isthanc, quae tam altas iam radices egit, mutare aut abolere poterit? Invehi in hodiernum seculi luxum, laterem lavare est. Quod si enim nostris exprobres epulas Nepotinas, vestitus magnificentiam, exquisita aedium ornamenta, nimium titulorum splendorem, plurimorum ludibrio te expones. Hic enim seculi mos est, ut si homines novis inventis superbire queant, usum praetendant, maiorumque instituta abolenda censeant. Quare plura non addam, sed haec dixisse et attulisse sufficiat.

Ha 230

ULB Halle
001 927 736
3

1D18

Juli 2000 Pd.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-427549-p0027-0


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-427549-p0028-6

C. B. D.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO,

DN. FRIDER. AVGVSTO,

ELECTORATVS SAXONICI HEREDE,
ETC. ETC. ETC.

ILLE-I-SSATIONEM HOMINIS,

ut

TUISSATIONIS DEI ET VOSSITATIONIS HOMINIS

προθήκην ac ſupplementum,

PRAESIDE

M. ERNESTO CHRISTIANO SCHROEDTERO,

ORDINIS PHILOSOPHICI ASSESSORE,

publicae Συζητήσει exponet

Auctor-Reſpondens

IO. CHRISTIANVS CLODIVS,

Sohliba-Haynenſis,

IPSIS KALENDIS FEBRVARII, A.R.S. cIↃ IↃ CCIV.
IN AVDITORIO MAIORI.

VITEMBERGAE,
Prelo CHRISTIANI SCHRŌDTERI, ACAD. TYP.

185 S. 1019